

mihi concessisti, concede etiam perficere ut possim, & in die tribulationis talem concede animi constantiam, ut non perturbetur anima mea ab iis qui odio habuerunt me gratis, & ab homine malo atque insidioso, confusionemque meam quærente, & à lingua dolosa, animaque mendaci libera me, pie Domine. Concede mihi, te rogo, aeternæ Deus, per viscera misericordia tua, portionem aeternæ hereditatis tua in resurrectione prima atque in die particularis iudicij, ubi à compedibus huius ergastuli tuo iussu liberabitur anima mea; tunc equidem securus ero à timore atque tremore, in die illa magna atque tremenda, in die illa calamitatis & miseriae, quando cæli mouendi sunt & terra, & quando aeternus Dei filius, Dominus noster Iesus Christus, venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos. Concede mihi, ô Rex gloriae, ut in omni aeternitate cum omnibus angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus tibi iugiter decantare mihi liceat hoc canticum gloriae: Laus, honor & gloria illi qui sedet in excelsis per omnes aeternitates benedictus, qui que iugiter per cuncta secula regnat.

F I N I S.